



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

Anno Christi MDXXIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Fridericus Comes Palatinus dixit: in Norimberga, Argentina, Ulma ac ceteris illis paribus civitatibus imperialibus, inibi semper viri providi, & sapientissimi summa industria callentes inventi sunt, omnisque rerum ac divitiarum copia. Miror, quod quælibet illarum solummodo per unum virum apostatam tot & tanti in errorem ac labem Lutheranam inducantur. Augustenses vero habent sex perversores Lutheranos Prædicatores, qui eos a vera fide in errores inducunt.

*Anno Christi MDXXIX.*

Helvetiorum Legati in capite jejunii, qui non sunt Lutherani, in Oeniponto Ferdinandum Regem Bohemix atque Hungariæ adierunt, ipsum rogantes, ut cum eis Ligam ineat, contra suos confœderatos Helvetios Lutherana labe infectos. At Rex Ferdinandus cum eis diætam in Veldkirch indixit, illucque suos Consiliarios Comitem de Sulz, Georgium Truchses Baronem, Marcum Sittich de Ems, Joannem Jacobum de Landau, & Doctorem Jacobum, atque alios nobiles viros transmisit ad fœdus cum ipsis percutiendum. Quod & opere perpetratum est.

Helvetii Lutherani Monasterium S. Galli totaliter spoliaverunt, tabulas quoque altarium destruxerunt, & ultra 60000. flor. dam-

damnum intulerunt. Fratres dispersi in aliis tribus locis atque Monasteriis, ut alerentur. Abbas præ dolore obiit: qui etiam in infirmitate laborans ab Helvetiis obsessus, & observatus fuit.

Die 21. mensis Januarii, rusticis territorii curiensis undique ad civitatem curiensem illicitis, dum conventus Ligarum Dauasi ageretur, Abbas curiensis S. Lucii Ord. Præmonstratensium, vir quadragenarius audax, eloquens, honestus simul & doctus, Lutheranis valde infestus, catenis vinctus, miserabiliter ad iudicium trahitur extraordinarium, accusatur *furti*, quod bona monasterii abstulerit, quæ ipse a latronibus eripuit custodienda, & non longe a civitate deposuerunt, cum solemnibus protestationibus. Item *proditionis*, quod Episcopatum vendere voluerit Domino Musli, ubi tantum appellatus est, ut attentaret amicabilem tractatum, & apud illos, quorum interest, consensus impetraret. Item *rebellionis*, quod edictum divinorum Officiorum intermittendorum transgressus fuerit. Accusator primus sententiam dedit, quoniam reus sit mortis; Accusatus, ipsum tormentis inquirendum, non permittitur respondere, nisi per interpretem, & hunc male Romanum. Septima noctis usque ad undecimam diris, & insolitis torquetur cruciatibus, in pavimento prætorii, audientibus longe vicinis, & ex proximis fenestris videntibus faciem horrendam

dam pendentis a chorda ; & identidem repetentis : quid me torquetis ? nihil mali feci. Postridie ad publicam latronum custodiam deducitur, ad carcerem turris, & acrius torquetur. Frigida perfusus aqua, & humi positus aliquot horis, donec gelu membra constringerentur. Sic die tertia mane circa horam quartam usque ad septimam, multum institerunt ; ut conscios proferat, sed non constat nominasse quemquam, quia innocens criminum objectorum existeret. Tandem circa horam undecimam ejusdem diei tanquam latro foras civitatem ductus, capite truncatur, vere Martyr, usque ad ultimum vitæ spiritum sibi constans, & patiens fuit. Mater ejusdem Abbatis ex morte filii, apud Veldkirch pœne consumpta est. Die 27. præfati mensis trium ligarum nuntios ad Veldkirch miserunt repetentes bona Monasterii, quæ augurantes bonum Abbatem apud diversos amicos reposuisse : sed spe frustrati, famelici ære alieno vacui recesserunt.

Deinde etiam ceperunt excellentem capitaneum Dietegonum ex Zutz, Carolo Imperatori percharum, vinctum ad curiam traxerunt, quem etiam decollari jusserunt. Certum autem fuit Tugurinos animasse iudices ad hoc facinus, qui jam per vallem Rheni longe dominantur cum secta sua Lutherana.

Domi-

Dominica *Judica* Augustæ hæresiarcha M. Michael Keilern Prædicator apud Minores ad cænam suam invitavit civem Augustensem Sigismundum Welfer, & apostatam unum de Ordine Minorum nomine Marcum, atque carpentarium unum. Cæna autem facta, hora 8. noctis Ecclesiam Minorum ad extra conclusam præfati quatuor viri intraverunt, & altare, ubi Crucifixum lapideum valde pulchrum, valore 300. fl. loco tabulæ stabat, accesserunt, a civibus nomine *Ridler* illuc collocatum ante certa lustra annorum. Hunc Crucifixum cum multis imaginibus artificiose elaboratum & præ magnitudine in altum porrectum, uno animo accedentes, membratim quamlibet imaginem frangentes, diviserunt. Ex una imagine 10. partes, aut plures fecere, ac si veluti latrones rota plexi fuissent.

Exinde feria secunda confuse clamores, sermones, ac loquelæ hominum utriusque sexus, ætatis atque status in Ecclesia Minorum fuere, videntes Crucifixum tam enormiter confractum, quorum tamen major pars displicentiam contraxerat. Aliqui ob reverentiam Dei, ceteri vero affirmabant, quod illi 4. viri, ideo non bene egissent, eo quod sine commissione Superiorum atque illorum, quorum expensis Crucifixum & Altare constructum fuerat, confregerant, ac si in messem alienam manus misissent, quod ad eos minime spectare dignosceretur. Alii

factum laudabant, eo quod cederet ad laudem Dei, cum lege divina in veteri testamento prohibita sit omnis sculptura deorum. Contigit autem fortuito casu, quod subsequenti die Lucas Welfer Senator, Pater ipsius Sigismundi Welfer, qui in confractioe Crucifixi auxilium præstitit, Ecclesiam Minorum intraret, qui etiam pro parte Lutherana doctrina infectus erat; videns Crucifixum confractum, summam displicentiam inde concepit, transgressoresque tam frivolos hujus exquisitæ malitiæ merito puniendos censuit. Insuper gratias agens Deo, quod filii sui a tam nefanda transgressioe alieni essent, & huic sceleri nec verbo, aut facto participassent. Et ecce vix verbis prolatis, unus servorum suorum illum accessit, affirmans id filium suum propriis manibus, una cum ceteris perpetrasse, & hujus rei factum ad Senatum delatum fore. Quod Pater audiens consternatus mente simul, & confusus domum suam adiit, & vagam relationem veridicam invenit.

Eadem die Senatus in Ecclesiam Minorum misit Præfectum Augustensem, & juridicum scribam, vulgo *Gerichtschreiber*, ad lustrandum fracturam Crucifixi, & ad explorandum hujus rei auctores. Deinde Feria 3. M. Michael in prædicatione publice confessus est, se cum auxilio trium virorum Crucifixum lapideum, lignum prohibitum confregisse ea de causa, ne cum tempore a  
fe

se ipso caderet, casu illius 10. aut 20. vel 30. homines perimerentur, & exinde Augustenses, obloquendo infamiam incurrerent a narrantibus: Ecce quam stolidi & insensati sunt Augustenses, quod sponte propria simul & industria, prohibitum lignum non deposuerunt. Cum autem nos 4. viri prohibitum lignum deponere nitebamur, sua gravedine prævaluit simul, & ponderositate, quod illud minime retinere poteramus, sicque prohibitum lignum ceteras imagines & sculpturas quoque confregit. Fracturæ lapideæ ligni prohibiti ecce jacent in ambitu Monasterii: si qui autem sunt, qui desiderant unam vel 10. libras ligni prohibiti veniant ad me cum sacco, quibus ego omnem sufficientiam administrabo. Vah: quot homines per hanc Ecclesiam transierunt, qui vel pileum deposuerunt, vel se inclinaverunt, vel genuflectentes, aliquam orationem fecerunt, & exinde hoc scelere Deum blasphemaverunt, & magis atque plus imensum hoc actu, quam peccatum mortale perpetrare. Ille homo maledictus est a Deo, qui Altare construit, seu lignum prohibitum fieri procurat, scilicet Crucifixum, aut larvas, vel imagines Sanctorum, quæ omnia lege divina prohibita sunt, & actores, factores, aut auctores omnes a Deo maledicti sunt. Deinde summe blasphemavit B. V. Mariam, asserens, illam communem foeminam fuisse, quemadmodum aliæ mulie-

mulieres. Post vituperationem Genitricis Dei, pervenit ad contumelias Sanctorum, qui jam cum Christo regnant, quorum confortio ipse hæresiarcha dignus non est, sed veluti bestia a mari descendens cum suo dracone absorbebitur per influentiam jordanis in os ejus. Venerationes etenim Sanctorum ita derisit, atque dissuasit, quod neas est dicere etiam apud Barbaros.

Feria 5. ex post Sigismundus Welfer ad Senatum vocatus est, tanquam auctor hujus sceleris, qui M. Michaellem, & alios duos viros ad destructionem Crucifixi concitavit, & quidquid mali eis inde eveniret, se pro eis satisfacturum promisit. Punitus est autem a Senatu pro 300. florenis, & insuper per 4. hebdomadas in turrim *Söggingerthor* collocatus est; in quam in die *Palmarum* intravit, & ibidem usque ad Dominicam *Jubilate* inclusus permansit. Sigismundus Welfer custodiæ carceris mancipatus, assererat, se non auctorem hujus rei extitisse, sed M. Michaellem, qui illum & alios ad id instigasset. Nam ab eo invitatum ad cænam, non alia intentione ipsum accessisse, quam ad convivandum, & confabulandum cum illo. Sed postquam laute bibisset, fatebatur M. Michaellem dixisse: venite mecum in Ecclesiam, secum ferens claves, cum quibus januam aperuit, & ad Altare accessit Crucifixi, ubi prius locata fuere



fuere omnia instrumenta ad destructionem Crucifixi necessaria. Et confestim M. Michael super Altare ascendit, primusque ictum cum malleo Crucifixo illisit, fracturamque fecit, & exinde eos in auxilium ascivit, ac sic ipse impræmeditatus, & a vino gravatus, adjutorium præstitit, quousque Crucifixum in tot partes confractum, solo prostratum reliquissent. Sed ex quo ipse tanta austeritate & rigore puniretur, vellet etiam operam dare, & omnem suam substantiam exponere, quousque M. Michael puniretur, quemadmodum & ipse punitus est, tanquam causa efficiens, cum ipse id non sua sponte, sed instigatione M. Michaelis, & opere perpetrasset. Sed M. Michaeli nihil injunctum est satisfactorium, neque suis coadjutoribus, forte ne seditio oriretur in populo.

Feria 6. ante Palmarum Præfectus Augustensis cum uno tubicine, & aliquibus servis obequitans per omnes vias & plateas hujus urbis proclamari fecit infra scriptum mandatum, quod etiam 19. Martii ad omnes valvas Ecclesiarum & ad Capitolium atque ad portas urbis affigi jussit, quod & factum est.

Honestus Senatus Augustensis, & illuc Sacri Romani Imperii Præfectus seriose mandant, præcipiunt, & jubent, omnibus habitatoribus hujus urbis, atque eis subje-  
ctis,

ctis, quod imagines, epitaphia, picturas, & ceteras memorias in Ecclesiis vel cæmeteriis, aut quocumque locorum factas, erectas, atque stantes, sine scitu & iussione Superiorum, maculare, seu dehonestare, confringere, vel collisionem aut damnum inferre: sed omni modo ipsi ac eorum subditi abstinere deberent a transgressione huiusmodi mandati. Si quis autem huius mandati per inobedientiam transgressor reperiretur, propria contumacia puniri deberet in substantia, corpore atque vita, aut alia pœna condigna. Quare quilibet provide conspiciere deberet, ne aliquam pœnam transgrediendo incurrat.

In Profesto Corporis Christi sub completorio, unus eques equitans in derisionem, & contemptum V. Sacramenti Eucharistiæ per Ecclesiam nostram S. Udalrici, per januam versus Monasterium intrans, Altare Plebani pertransiens. & per januam Grettum Cachino iterum exiens.

In ornamentis nostræ Ecclesiæ pro decore Altarium, & solemnitate Missarum nihil remansit intactum, pallia enim Altarium, phalangæ, & candelabra atque alia quæque minima, quæ nominari fas non est, furto subtrahebantur, ac stercorebus hominum Altaria ante celebrationem Missarum maculabantur. Vir & mulier coeuntes in Capella S. Bartholomæi reperti sunt in die, in præ-

præfata Ecclesia nostra. Quare eadem Capella cancellata, tabulatura conclusa est.

In die S. Joannis Baptistæ hæresiarcha M. Michael in sua prædicatione V. Sacramento Evcharistiæ maledixit, & omnibus credentibus in Evcharistiam. Et in hujus rei signum, casulam sacerdotale vestimentum secum in ambonem portavit, proclamando: casulam hanc nunc in terram sepelire volo, & cum casula illa simul & Missam, in signum, quod deinceps blasphemia Missarum non iterum peragetur, sed e medio tolletur, auferetur, annihiletur, & conculcetur. Nam quocunque locorum talis blasphemia peragitur, & fieri permittitur, in tali loco non potest esse salus, aut ulla prosperitas, quousque eliminetur. Hæc eadem præfata idiota prædicator S. Georgii exinde ratificavit, & sua prædicatione super casulam & Missam lapidem superposuit, populum suis deliramentis decipientes, veluti cultores Baal, prout in Daniele legitur, a devotione in hæresim traxerunt.

Augustæ in Ecclesia SS. Udalrici & Afræ in irreverentiam divinissimi Sacramenti Evcharistiæ in Altare Plebani inclusum lapides projecere, & juxta Altaria stercorizantes. Similiter & per diem ibidem in Capella S. Bartholomæi, publice viri ac mulieres actum venereum luxuriando exercentes, veluti insensati canes. Quare Abbas  
&

& Conventus ibidem his malis obviare volentes, divinissimum Sacramentum Eucharistiæ, & Oleum sanctum ad Chorum suum transtulerunt, Capellam vero S. Bartholomæi cancellato pariete claudi fecerunt.

Deinde Magistri Ecclesiæ vulgariter *Zechmaister*, Joannes Rudolph, Marcus *Müller*, & Lenz *Gnugesser* textor, ex invidia & livore maximi Lutherani, propria præsumptione supra fundamentum alienum, in loco sacro, in jurisdictione Monasterii S. Udalrici in cæmeterio domum construxerunt pro Lutherano prædicatore. Et in die Simonis & Judæ circa meridiem propria temeritate ad januam clausam ipsi tres viri præfati accesserunt, & claves eis a Joanne Schmid Lutherano nostro Plebano præsentatas, furtive accipientes, januam aperuerunt, ac apostatam Lutheranum Prædicatorem nomine Wolfgangum indutum in ambonem constituerunt, eique officium prædicationis commiserunt, & clavem ad ambonem tradiderunt. Prima autem Dominica adventus Domini, hora Primarum prædicavit, & una cum cantu Lutheranorum continuavit usque ad mediam partem Tertiaram, ubi confusæ voces ad invicem sonuerunt ex cantu horarum atque officio Missæ, & clamore virorum ac mulierum sectæ Lutheranorum.

Scripserunt autem Illustrissimi Principes, Wilhelmus Dux Baviariæ, & Otho Henri-

cus Palatinus Rheni ad Senatum Augustensem rogantes, ut Conventum S. Udalrici recommendatum haberent, suisque privilegiis uti permetterent, & Lutheranos prohiberent, ne eos molestarent: nihil inibi contra voluntatem Abbatis & Conventus innovando vel attentando. Senatus autem ad deliberandum, quid responderet, dilationem petiit. Prius enim Magistri civium se excusaverant, quod Magistri Zechæ id attentaverint sine scitu, ac jussione illorum. Ipsi autem Magistri Zechæ ut facta sua roborarent, parochianos Lutheranos ad concionem convocaverunt, consilium habendo, quomodo mala ac injuste facta illorum stabilirent, & Conventum deprimerent. Concluserunt autem in eorum consilio, quod coram Senatu velint deponere, domum prædicationis, cæmeterium, domumque Plebani de eorum jurisdictione esse, quare in his locis destruere innovare, atque ædificare secundum beneplacitum plenam facultatem habere contestati sunt, & ab incæptis desistere nolint. Abbas vero & Conventus prius coram Senatu protestati sunt, quod in istis controversiis & gravaminibus in suis propriis possessionibus stare vellent in iudicio, ac respondere coram cæsarea Majestate, coram Ferdinando Rege, coram iudicibus cameræ, vel coram Ducibus Bavaricæ, seu Palatinis Rheni, atque coram Li-ga suevica, & Ordinario. Sed nihil his im-  
petra-

petravimus, quin potius peiores in proposito eos reddidimus. Senatus itaque altera die post Luciae, præfatos parochianos convocavit, querimonias Abbatis, & Conventus ei proposuere, simul & litteras Principum ad Senatum scriptas eis legi fecerunt. Quibus omnibus auditis, magis exasperati, duriores effecti sunt, asserentes omnia præfata ad eos spectare, & non ad Monasterium. Exinde Senatus in Vigilia Nativitatis Christi hora 9. ante meridiem misit ad nos Senatores, Doctorem Conradum Peuttinger, Wilhelmum Rechlinger, & Scabinos textorum ac bursariorum *Seizen* *atque Eifelin*. D. Peuttinger dure contra nos locutus est, ac si nos inhoneste egissemus contra Senatum, conquerendo Principibus, ut exinde discordiam inter Principes, & Augustenses seminare niteremur: cum Parochiani assererent domum prædicationis, & cæmeterium de illorum jurisdictione fore, quam etiam domum inceptam in construendo consummare vellent, multa frivole sine ratione allegando. Insuper increpavit nos, quod contra charitatem ageremus, & honorem Dei, quod prohibere niteremur, ne populo sitiienti verbum prædicationis proponeretur: & si objicere vellemus, prædicatorem illum fore Lutheranum: id contradiceret. Nam Senatus nullum Prædicatorem admitteret, qui verbum Dei false denuntiaret. Super his terminum  
respon-

respondendi petivimus, & eos abire fecimus.

Lectores Chori Augustensis Ecclesiæ B. M. Virginis habuerunt curtes certas rurales in prædio Langeneyffen, ubi præferbat se Matthæus Ehem plenam jurisdictionem atque advocatiam habere, civis Augustensis, generque Udalrici *Sulzers*. Is homo Matthæus Ehem, specie, visu, ac incessu magis Italus, quam Germanus, vafro ingenio, malitiose excogitavit, quomodo præfatas curtes sine pretio e manibus Lectorum in suam potestatem, possessionem, ac jurisdictionem redigeret: alienas itaque causas assumens, falsa narratione & sinistra machinatione apud Sedem Apostolicam egit, quod Bullam Apostolicam (non impetravit) extorsit, quod præfatæ curtes cedere deberent in jurisdictionem suam, eo quod ipsi Lectores essent publici Concubinari, lusores alearum, & balistarii a canonicis forent damnati, inhabilesque ad quæque beneficia. Matthæus Ehem in pelle ovina curtisanam induens, qui veraciter nihil aliunde de Sede Apostolica quicquid sane sapiebat. Nam fæcibus Lutheranorum totus infectus erat, & fere omne venenum hujus pestiferæ ac damnatæ doctrinæ haustu ebiberat, qui exinde veluti mero exæstuans, ubi publice non cum rubore, sed quasi honoris titulo evomuit, se (pseudo) Evangelistam vulgo exhibere omni nisu volens.

*Hist. Eccles. Tom. XXXIII.*

f

lens.

lens. Is cum Bulla sua curtes arreſtavit. Socer vero ejus Udalricus Sulzer volens ſe inſontem reddere, ac veluti mediatorem ſe oſtendere, & exhibere, quaſi generum ſuum ad id induxiſſet, ne Lectores ſuis curtibus ſpoliarentur, ſine proceſſu juris. V. Capitulum Cathedralis Eccleſiæ perſonaliter acceſſit, juffu & nomine generi ſui Matthæi Ehem, quod ad dirimendas hujusmodi controverſias gener ſuus juridice procedere vellet: & nomine totius Capituli in judicem acceptare velit nobilem ac præſtantiffimum Dominum Philippum de Hochenrechberg Decanum ejusdem Capituli. Quod Capitulum & Lectores gratanter acceptavere. Quare Decanus juxta juris proceſſum, ambabus partibus diem præfixum & certum denominavit, quo comparere deberent in judicio. Adveniente autem die præfixo, utræque partes comparuere. Lectores ſimplici corde, & vera fide adimplere volentes Decani ſententiam, quicquid dictaret ſententialiter, ſe pro rato habere vellent. Econverſo Matthæus Ehem coram Decano apparens, perverſo corde, ac mente dicebat: quod ipſum D. Decanum in judicem in hac re acceptare nollet, eoquod ſibi ſuſpectus eſſet: & quod plus eſt, ſe nunquam iſtius intentionis fuiſſe affirmabat, quod ſocer ſuus id ſine ſcitu, voluntate, & conſenſu ſuo feciſſet. In Concione autem illa Udalricus Sulzer faciem ſuam mutavit in colorem ſuorum  
crimi-



crinium. Amboque focer & gener, cum rubore & confusione a conspectu Decani & Lectorum abierunt, sua mendacia palliantes. Exinde Capitulum apud proceres Ligæ suevicæ impetravit, quod false impetrata Bulla incassata est. At ipse Matthæus Ehem quietis impatiens, ad iudices Westphaliæ appellavit.

Dominica secunda adventus Domini, Senatus Augustensis publica proclamatione prohibuit sub castigatione corporis ac bonorum, facultatum, omniumque possessionum, ne quis contra Sacramentum Evcharistiæ, & contra B. V. Mariam, atque Sanctos Dei aliquod verbum loquatur secundum decretum ultimæ diœtæ spirensis. Item inhibuit ludum taxillorum ac chartarum, & ne quis cogeret alium ad bibendum, vel potum porrigendo alium incitaret, & quod post 9. horam noctis aliquis hinc inde in civitate vagaretur. Et quod hospes nulli hominum post præfatam horam administraret, sed male observatum fuit.

Incolæ urbis S. Galli, Monasterium ibidem S. Galli totaliter spoliaverunt, omnia bona mobilia, quæ invenerunt, auferendo, sedilia, & Altaria una cum tabulis omnia destruendo, calices atque Monstrantias, & omnia alia ornamenta tollendo, præfato Monasterio ultra centum millia florencum damnum intulerunt. Abbas & Con-

ventus auffugit ad Uberlingen. Insuper ipsi Urbani, corpus reliquiarum S. Wiboradæ Virginis & Martyris arripientes, quæ ibidem integra requiescebat, in ignem projecerunt, ac corpus illius S. V. incineraverunt, ac postea cineres in aerem sparserunt. Deinde quæsierunt corpus S. Othmari, ut æquo modo ipsum dehonestarent. Sed minime reperire Sanctum potuere, quamvis omnes cryptas in visceribus fodiendo perlustrassent. Monachi enim ejusdem Cænobii ex industria prius ad tutiora loca una cum litteris & privilegiis Monasterii transmiserant.

Basileæ magnum lignum Crucifixi fuit, ubi oppidani ejusdem urbis ascenderunt, & imaginem Salvatoris nostri de ligno crucis deposuerunt. Et exinde Licctorem vocaverunt, qui jussu illorum imaginem Salvatoris ad caudam equi innectat, & sic confusibiliter, quemadmodum latronem, extra urbem eduxit in quadragesima. Eodem quoque tempore ipsi Basileenses in urbe omnes imagines, & Altaria, tabulas, ac cetera omnia, quæ ad decorem Ecclesiarum facta fuerunt, in ignem projecerunt, & in pulverem redegerunt.

Omnis Clerus, una cum Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, atque studentes, ac docti viri a Basilea recesserunt, Friburgumque adierunt, ubi a Senatu, & communi popu-

populo civitatis honorifice suscepti sunt, Canonique ibidem sedem ipsorum locaverunt, & in Parochiali Ecclesia, prima vice in die Nativitatis B. M. V. persolvere fecerunt, quemadmodum Basileæ in propria Ecclesia peregerunt.

In civitate Lindau Incolæ imaginem Crucifixi in lacum projecerunt. Et exinde omnes timor invasit, ac si viderent hominem natantem in lacu.

Oppidani Lutherani in Rottweil conspirationem inierunt, quod viros Catholicos inibi eis contrarios numero fere 500. occidere vellent. Dies autem & hora conspirationis illorum Senatui ibidem clandestine, occulta traditione ipsius conventionis, manifestata fuit. Senatus autem talem seditionem ac interfectionem concivium præcavere volens ab extra omnes rusticos ex villis suis ad civitatem convocaverunt eadem die, & tempore omnibus nescientibus, quo Lutherani veros Catholicos occidere volebant. Adventu itaque rusticorum, qui occulte introducti fuerant ex insidiis in palam procedentes mala Lutheranorum præsumptio incassata fuit. Capitanei etenim & Principales omnes capti, certique ex eis decollati sunt, alii in exilium missi, alii aliter puniti, multitudini parcendo, ne omnes neci ac morti traderentur.

In eodem mense Decembri in Gamundia cives Lutherani ibidem viri fere 300. contra Senatum Gamundiensem, qui Sectæ Lutheranæ contrariebantur, conspirationem fecerunt, quod armata manu vellent eum invadere, captivare, & occidere. Quæ conspiratio clam ad Senatum deducta fuit. Senatus itaque certitudinaliter re experta celerem nuntium ad Stutgarten destinavit, auxilium petendo contra rebelles subditos suos, proprios concives. Regentes Ducatus Wirtenbergensis litteris visis & perlectis, confestim in auxilium 600. pedites & 50. equites miserunt, qui occulte eodem die & tempore introducti sunt, quo Lutherani eorum conventionem Senatum Gamundiensem invadere voluere. Cum autem Lutherani in urbe convenissent, ut conspirata perficerent, Wirtenbergenses destinati cum aliis civibus Gamundiensibus conglobati, ex insidiis in lucem prodeuntes, omnes capitaneos & principales ceperunt, ceteros autem jusserunt domos suas adire, prius Senatui de novo juramento præstito subjectionis, & obedientiæ, & quando iterum vocarentur a Senatu, comparerent, ad luendam pœnam pro tam temeraria transgressione, & interim nihil alienare deberent ex suis propriis rebus, & nec ipsa propria corpora. Et eadem die 10. viri decollati sunt per Petrum Aichelin jussu procerum Ligæ fuevicæ.

Hiemali

Hiemali tempore unus textor Augustensis una cum uxore sua, ambo non legitime nati, domum habentes prope Ecclesiam S. Crucis, de Augusta egressi, rebaptizantes enim fuerunt, juxta Blaubeuren domum unius molitoris intravere, ibidem se suscipi rogaverunt. Cumque molendarius se excusaret, se locum in domo non habere, precibus apud molendarium institerunt, ut locum eis manendi in stabulo digno pretio concederet: quod molendarius intuitu Dei concessit. Iste autem textor omni hebdomada in magna quantitate, prompta pecunia, farinam pro decoctione panum ab eo emit, quod molendarius admirans, quomodo tot panes sumere aut exponere possent? unde in nocte vigilavit, & excubias habuit, explorationeque edoctus, invenit, quod multi homines eos in nocte accederent. Molendinarius autem suos domesticos in stabulo suspectos habens, præfectum villulæ suæ accedens, hujusmodi hæc omnia insinuavit. At præfectus molendinario silentium imponens, dixit, se mature acturum juxta consilium Dominorum constitutorum in regimine Stutgardiae. Qui exinde nocte superveniens, 9. Anabaptistas cepit, & Stutgardiam captivos adduxit; qui secum habuere coronam argenteam deauratam, torquem aureum valore 300. fl. argentum deauratum sceptrum, argenteum pugioem, & gladium: quæ omnia Ulmæ fabrica-

brefacta, & empta fuere. Inter novem captivos fuere duo Auguftenses textores. Primus fuit, de quo fupra mentio facta eft, qui apud molendinarium hofpitatus fuit, alter fuit Gallus Fischer. Hi voluere cum his regalibus infignis Wirtembergiæ feditiofos ruflicos accedere, & Regem inter illos eligere, ac cum his regalibus coronare, atque inftituere: & textor ille, qui apud molendinarium hofpitatus eft, Rex fieri debuit. Cum autem captivi ad Stutgardiam adducti effent, ipfi captivi ab invicem fegregati, ut per torturam eo melius ab eis explorari poffet; qui præfata, & alia multa mala facinora, quæ præfumpiffent peragenda, confefli funt. Rex itaque illorum textor Auguftensis cum aliis duobus fociis Stutgardix incineratus eft. Gallus Fischer cum aliis duobus fociis in Niertingen incineratus eft. Kirchen an der Egl alii incinerati funt; unus quoque Presbyter fæcularis, & Molendinarius etiam igni traditi funt.

*Anno Chrifti MDXXX.*

**A**d primam diem Maji Carolus Imperator Auguftæ mandavit convenire omnes Principes, Prælatos, Nobiles, & Oratores civitatum Imperialium, totius Germaniæ, Colloquium cum eisdem habendo, de tollenda hærefi Lutherana, & nova Reformatio-